

*[a] et Pondum, et Sanctam Floram [A], quae eidem domino resistebant [b]; et eidem domino [c] servierunt fidelissime et devote.*

*[circ]**De terrae motu maximo.*

## CAP. CLXXIV.

Anno Domini mcccxxii die Natalis Domini venit vehemens terraemotus hora ter-  
tia in Romania et Lombardia, et maxime in Brixia et ejus episcopatu; qui bene duo  
millia inter [d] viros et mulieres, pueros et pueras, interemit. Civitas cum domibus  
et turribus dirupta fere et dissipata fuit [e].

*MM*

*Quando Faventini iterum fecerunt canale, ubi molendina volvuntur.*

## CAP. CLXXV.

Anno Domini ccxxiii [f] post mille Amezus Karentanus [g] Faventinus potestas  
fieri fecit canale novum [h], quod incipit [i] a Sancta Maria foris Portam [j] et ten-  
dit usque molendinum abbatis Sancti Hippoliti in quo aquam [k] mittens molendina,  
quae [l] in antiquo canale [m] erant ab Antonio Placentino, Faventino potestate, prius  
facta, destruxit [n], et in dictum canale [o] novum reaedificata videntur [p]. Fuit enim  
secundus fossati civitatis actor et restitutor [q]. Nam primus Guillermus Burrus fuit,  
civis Mediolanensis, fossati civitatis inceptor et Faventinae potestariae principium [r].

[a] Rondenam. Sic lego C. M.; Radenanam, C. V.; Rondenariam, legit Cl. Mitt. — [b] domino resistebant. Sic lego C. M.; domino nolebant obedire, C. V. — [c] eidem domino, C. M.; dicto domino, C. V. — [d] duo millia inter, C. V.; MM inter, C. M. — [e] dissipata fuit. Addidi fuit. — [f] Anno Domini ccxxiii post mille, C. M.; Anno mcccxxiii, C. V. — [g] Amezus Karentanus. Sic Codd. hic; licet supra habeant: Aruezus. — [h] canale novum. Sic Codd. — [i] quod incipit, C. V.; quod incipitur, C. M. — [j] foris Portam, C. V.; foris porta, C. M. — [k] in quod aquam. Sic lego; sed Codd., in quo aquam. Immo C. V., pro aquam, habet: aquas. — [l] molendina, quae. Sic Codd.; non, in molendina, quae. — [m] in antiquo canale. Sic lego. Codd. habent: in antiquum canale. — [n] destruxit, Codd.; decurrat, habet Cl. Mitt. — [o] in dictum canale. Sic Codd. Cl. Mitt. corrigit: in dictum canalem; et revera masculino genere effetti deberet in toto capite hoc nomen. Immo legendum: in dicto canale novo. — [p] reaedificata videntur, C. M. Num potius sic, nempe: aedificavit? — [q] actor et restitutor. Sic legit C. M. cl. Mitt.; sed C. V. habet: actor et destructor. — [r] Fossati civitatis inceptor et Faventinae potestariae principium, C. M. In C. V., qui fossata civitatis incepit et Faventinae potestariae principium. Vide supra ad ann. 1184.

[A] Galeata est in Apennino, juxta initium fluminis Vitis, quatuordecim milliariis ab urbe Forolivio, Rondenana, sive Rondenaria. ac Sancta Flora sunt loca supra Galeatam sita, sex vel octo milliarium intervallo.